Ludwicus dei gratia Romanorum Imperator semper Augustus. Constare volumus presencium inspectoribus
universis quod nos attento viro Arnoldo de Schonhouen fideli nostro dilecto per grata et fructuosa obsequia nobis et
Imperio per eum hactenus fideliter impensa et imposterum fidelius impendenda omnia et singula feoda in oppido nostro Aquen
et specialiter feodum Prefectorum quod vulgariter Vrichschen nuncupatur a nobis et sacro Romano Imperio in feodum descende
ncia seu descendencia que et quot sui progenitores a divis Romanorum Imperatoribus et Regibus predecessoribus nostris tenuerunt
et pacifice possederunt cum omnibus pertinenciis et obvencionibus de solita nostre Imperialis clemencie confirmamus concedimus et
eundem ex speciali gratia de eisdem presentibus investimus. Ita videlicet quod idem Arnoldus a quolibet prefectore in oppido
nostro Aquen prenotato tociens quociens prefectura unum denarium antiquum Aquen auctoritate nostra Imperiali nomine
feodi recipere valeat et tenere. Inhibentes omnibus et singulis sacri Romani Imperii fidelibus cuiuscumque status seu condicionis
existant vel quocumque nomine censeantur ne quis eidem in dictis feodis aliquam molestiam inferat vel gravamen
quovismodo gracie nostre sub obtentu. In cuius rei testimonium presentes conscribi et sigillo maiestatis nostre iussimus
communiri. Datum Monaci ultima die mensis Februarii. Anno domini Millesimo Trecentesimo Quadragesimo
Regni nostri anno vicesimo sexto Imperii vero Terciodecimo.